omnia que ad inpensas domus pertinebant praeparauit. Ipsius quoque
domus per singulas mensuras et descriptionem dauid. ut crescen
te extrinsecus statu cultus etiam deuotionis interius culmen
augesceret. Diuisionem nihilominus sacerdotalium leuiticorumque
que graduum in omnia opera domus domini distribuit. Erant enim sanctuarii
principes et principes dei. id est summi sacerdotes. tam de filiis
eleazar. quam de filiis ithamar. Quorum uices secundum ministeria
sua. ut ingrederentur domum dei uiginti quattuor sortibus
distinxit. In quibus abia familiam de qua zacharias ortus est sors
contigit octaua. Diuisit enim utrasque inter se familias sortibus
unam domum que ceteris preerat eleazar. et alteram domum
que sub se habebat ceteras ithamar. Lege uerba dierum. sed et
et antiquitatum iosephi librum. VII. ubi statutum refert.
ut utraque generatio iuxta ordinem sortionis ministraret deo per dies
octo. a sabbato usque ad sabbatum. Ubi etiam de tribubus leuitarum
XXIIII. partes factas asserit. Ut ipsi quoque eodem modo sortiti
iuxta morem sacerdotum octo diebus ministrarent; Non autem frustra
primus noui testamenti praeco in octaua sortis uice nascitur; Quia
sicut septenario sepe numero propter sabbatum uetus testamentum. sic no
uum aliquotiens octonario propter sacramentum dominice nostre
resurrectionis exprimitur; Unde quia non aliter quam per
obseruantiam utriusque testamenti regni celestis aula penetratur.
Recte et in templo salomonis mysticus quindecim graduum
ascensus fuisse narratur. Et is quia ad dominum in tribulatione cla
mans exauditur. Totidem graduum psalmis ad superna perducitur;
Quo tandem in atriis domus dei positus audire possit. benedicat
te dominus ex sion. Tempus quoque herodis alienigene et idolicole
regis etiam ipsum dominico attestatur aduentu. Predictum
namque fuerat. quia non deficiet princeps ex iuda. neque
dux de femoribus eius donec ueniat qui mittendus est ;

Quod fuerint sacerdotes [illegible]